UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Sev Manvale Episcoporvm Pro Decretis in Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

cap. 14. De Processionibus Synodalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Visual Library

brat ſolemniter, aſſumit omnia paramenta Pontificalia, vſque ab pallium excluſiue, ſi eſt Archiepiſcopus, ex Cærem. Epiſcop. lib 1. cap. 16. ſi aſſiſtit, conuenit, vt amictu, alba, cingulo, ſtola, pluuiali, & mitra pretioſa indutus aſſiſtat Miſſæ, cum ſolitis Cæremonijs. eodem habitu ſemper aderit in ſeſſionibus Synodalibus. Baculum vero paſtoralem vel geſtet, vel geſtare faciat

2 Dignitates, & Canonici parati adſint, ex Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 31. hoc eſt pluuialibus Dignitates; Planetis, & Dalmaticis Canonici Præsbyteri, & Diaconi &, ſi non ſunt diſtinctæ præbendæ, fiat tamen diſtinctio per paramenta, Congr. Rit. 15. Mart. 1608.

3 Coadiutores Canonicorum (quoniam & ipſi vna cum Coadiutis intereſſe debent) aderunt cum habitu Canonicali ordinario, non parati; ad diſtinctionem.

4 Collegiatæ non mutant habitum in choro conſuetum. Præfecti Collegiatarum in Prouincia Mediol. ex Conc. Prou. V. vna cum Canonicis cathedralis pluuialia induunt in Proceſſione prima, & vltima ex auctoritate Conc. Prou. IV. Epiſc. Laudenſis conceſſit pluuialis vſum Præpoſitis non Collegiatarum, & Vicarijs foraneis, vt eſſet inter clerum, & clerum aliqua diſtinctio inter eundum. finita vero Proceſſione exuunt pluuialia.

5 Rectores Parochiarum caputium geſtant ſupra cottam multis in locis: Neapoli ſtolam vt dignoſcantur ab alijs. ſeruanda eſt locorum conſuetudo.

6 Statuant Epiſcopi, quod expedire iudicauerint ad Actionis Synodalis ſplendorem, & maieſtatem Eccleſiaſticę Hierarchiæ repręſentandam.

7 Ordo vero ſedendi in Synodo eſt ille, quem ſupra ſignificauimus, tum capite 9. de apparatu num. 5. 6. 7. 10. tum capite 12. de catalogo Cleri. Vrbanus enim Clerus hincinde à tergo Canonicorum cathedralis ſedere debet. Beneficiati, ſeu manſionarij, & choro cathedralis addicti, immediate in ſcamnis poſt canonicos eiuſdem; nō quia digniores ſint canonicis collegiatarum; ſed quia in ſeruitio coniunctiores ſuis Canonici eſſe debent.

8 Collegiatarum vero Canonici ſedebunt hinc inde; totum collegium primum à dextris Epiſcopi, ſecundum à ſiniſtris Epiſcopi, & ſic deinceps, & Prior collegij ſedeat in ſcamno oblongo primus, propiùs Epiſcopo.

9 Parochi à tergo collegiatarum, & alij de ciuitate poſt parochum.

10 Diœceſanus autem clerus ſedebit in media naui ante faciem Epiſcopi, hinc inde, ita, vt in ſcamnis anterioribus, & iuxta dextram Epiſcopi, digniores collegiatæ ſedeāt; Parochi à tergo collegiatarum, & alij à tergo Parochorum, vt ſupra diximus.

11 Vicarius Epiſcopi, ſi eſt Protonotarius, induat rochettum, & mantellettum. ſi non eſt, induat habitum, quem per Vrbem defert, non pluuiale.

12 Si Vicarius eſt canonicus, ad Miſſam, & Proceſſionem, induitur, vt canonicus: Ad ſeſſionem Synodalem, vti Vicarius.

DE PROCESSIONIBVS Synodalibus. Cap. XIV.

1 DVplex Proceſſio fieri ſolet, altera pro initio Synodi, quam ſignificat cæremon. Epiſcop. loco citato; altera pro fine eiuſdem, prout in Actis, Eccl. Mediol.

2 Pro prima varius eſt ordo. nam aliqui ante Miſſam, alij poſt Miſſam, Conc. Prou. Mediol. 2. eam præmittit Miſſæ. ſtatuat Epiſcopus, quicquid voluerit.

3 Solet à Vicario Generali fieri Edictum de hac prima proceſſione, cuius exemplum dabitur in 4. parte cap. 6.

4 Decernenda eſt Eccleſia, ad quam eundum ſit, & via, per quam eundum.

5 Item, qui Hymni, & Pſalmi, dum itur, ſint cantandi. quorum Tabella editur, vt diximus ſupra cap. 12. num. 2.

6 Præfertur vna tantum crux cathedralis Eccleſiæ, quam ſequitur totus Clerus, ordine retrogrado, quo in Synodo ſedent.

7 Dum itur, quiſque Clerus partialis cantare debet Hymnos, & Pſalmos; priore de illo clero primum inchoante Hymnum.

8 Hora eſt præſcribenda Proceſſionis primæ, & euulganda ad valuas Eccleſiæ.

9 Clerici deputandi ſunt pro ordinanda Proceſſione, quotquot erunt neceſſarij.

10 Vltima vero Proceſſio fit intra ambitum Eccleſiæ, vel paulo extra, ſi multus eſt Clerus; & fit eodem modo, quo prima: ſed cantatur Hymnus, Te Deum.

11 Si ad primam proceſſionem Regulares, & Confratres conuenire ſolent, id fiat.

De Horis Canonicis, & Miſſis Synodalibus. Cap. X V.

1 HOræ canonicæ in Cathedrali dicuntur celerius; & ferè ſine cantu, ne impediatur actio Synodalis.

2 Veſperæ cantantur alicubi à toto Clero in cantu Gregoriano, alternatim. ab Vrba-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN